

15

ECLOGA
IN OBITVM CLARISSIMI VIRI DOCTRINA

VIRTUTE ET PIETATE PRAESTANTIS D. M.

*Gulielmi Cnuttelij Nassaici atq; Auraici consiliarij auunculi & patris
sui charissimi, ex hac in coelestem vitam euocati Anno*

M. D. LXVI. Ianuarij, 6.

Scripta ab

ERASMO STOVERO TILLENBERGENSI

DEDICATA INTEGERRIMO, ET DOCTO
viro Dn. IACOBO BLANCKENHEIM ciui Sigenensi
Domino & affini suo semper colendo.



VITEBERGÆ
EXCVDEBAT IOHANNES
CRATO.
ANNO M. D. LXVI.

658

C. 658

ECLOGA.

Mæris. Lycidas.

Pastor in vmbrosis errans quis frigora nomen,
 Et quercus posuere locis, lugebat amicum.
 Exequias tristi decantans pectore, Mæris.
 Vsq; adeo & querulas voces spargebat in auras,
 Vt duræ quercus, Corylorum & culmina circum,
 Flere viri mortem, atq; suas abscondere frondes
 Præ nimio sint visa sui pastoris amore.
 Luctus erat tantus, densa inter robora, quantum
 Extincto fuisse ferunt Phaëthonte sorores.
 Vix etiam Thysben morituram vulnere sæuo,
 Dilectum iuuenem tantum luxisse peremtum,
 Credibile est, tantum stridebant vndiq; syluæ.
 Audijt hæc Lycidas, qui forsan tunc gregis alter
 Pastor erat, versans animo quis talia casus
 Perficeret, tandemq; pedum rapit Ichnobatenq;
 Atq; canes alios quærens si fortè latrones.
 De grege quid raperent, vigili custode peremto,
 Vel lupus in septis, ventrem farciret amici,
 Vt prædam his pulsis vicinam ferret ad urbem.
 Ast vbi deserto paulum processit ouili,
 Cernit iam multo dilectum tempore Mærin,
 Inter frondosas tristem discurrere fagos,
 Complere & mæstis singultibus vndiq; saltus,
 Ac nigris fragis pictum fœdare galerum.

Non

Non solitos cantus, non tunc referebat amores
Mæris, sed querulo referebat carmine luctum.
Non lyra tunc sonuit, lætum nec fistula carmen,
Vnius aſt ſemper reſonabat nomen amici,
Lanigeriq; greges, circumſtabantq; capellæ
Immemores victus, ibantq; ad ouilia inanes.
Interea acedit Lycidas propiusq; ſodalem
Compellare parat, luctus cognoſcere cauſam
Vt poſſit, fariq; ſimul ſic incipit illi:
Ly: Quid te Mæri mihi multos dilecte per annos
Sollicitat? tanto cur te mærore fatigas?
Quid luges? pictum cur ſic fœdare galerum
Inſtituis mœſtus? tanti quæ cauſa doloris?
Num fœda ſcabie tentantur ouilia? fures
Nocturnoue caſas ſpoliarunt tempore veſtras?
Vel lupus arripuit grauidas in valle capellas?
An te nunc ſpreto ſequitur tua Niſa Bubulcum?
Vel quæcunq; tuam turbarunt omina mentem
Ede palam, nam forte tuis ſuccurrere rebus
Poſſum, conſilio ue tibi præſtare malorum
Solamen, ſi non potero tamen uſq; dolebo.
Talia dum trifti referebat voce, precatur
Clam Diuos ſupplex Lycidas, vt uertere luctum,
Atq; uelint lætum his rebus concedere finem.
Sed mæris caſum reputans & funera amici
Illacrymat, mortem culpans & iura deorum.

Vicinas valles, luctu vt compleret amaro.
Nil minus interea Lycidas quæ causa doloris
Sit tanti quærit mœstus, casumq; requirit.
At gemitus ducens imo de pectore Mœris
Sic fatur, lacrymisq; sinum compleuit obortis.
Mœ: O Lycida semper multum dilecte sodalis,
Ex multis mihi qui restas nunc solus amicus,
Namq; alios memini dum nos fortuna manebat
Infelix, perijsse fidem sermone probantes
Nil rebus, torquent hominum sic commoda mentes,
Ast fidos alios, veræ & virtutis alumnos
Inuida mors rapuit, iustos namq; inuidet orbi.
Ly: Vera refers nimium, nimium verissima Mœris
Voce refers, semper fuit hoc ab origine mundi.
Namq; ferunt, primi natos studuisse parentis
Moribus inuersis, vitijs nam fortè Cainus
Assuetus, iustum fratrem iugulauit Abelum.
Mœ: Optima quæq; cadunt & deteriora super sunt,
Vt memoras Lycida, tamen haud mihi mortis iniqua
Lex placet, arripiens simili ratione pusillos
Cum magnis, iustosq; malis discrimine nullo.
Doctos, indoctis miscens, quis talia fando
Temperet à lacrymis? Ah quem modo flemus amicum
Quantus erat, quot iam duris pastoribus annis.
Vnus amicus opem, nobis gregibusq; ferebat,
Ab noster, nostrumq; decus, nunc conditur urnæ.

L. y.

Ly: Quæso ne lacrymes, cedas tantum ue dolori,
Omnes namq̄ manet lex hæc sæuissima mortis.
Quin potius narra turbent quæ incommoda mentem.
Mœ: Ab tune ignoras (nosti sed fortè) Menalcæ,
Insignis virtute viri (cui nulla secundum
Tempora producent) iam nos deflere ruinam.
Nassouiumne vides populum, cum Principe magno,
Interitum tanti ciuis lugere peremti.
Rara avis in terris vir talis, tamq̄ probatus,
Ille tamen lethi valuit non vincere iura.
Viuerè si quis erat dignus, certe ipse fuisset,
Sed Deus iratus mundo hunc super astra leuauit.
Ly: Noster ad Elysias, deserto corpore valles?
Extremumq̄ diem claudens, secessit ad vmbra?
Concidit an noster, sublatus morte Menalcas?
Scilicet hoc nobis ferali carmine Bubo,
In tenebris intempesta sub nocte canebat.
Cum simul insolitum velox vlularet Hylactor.
Non adeo longum est ad ouescum nocte sederem,
Sanguineas vidi discurrere in aere flammæ.
Mœ: Hæc & ego Lycida magno terrore videbam,
Tristia præmetuens, nam raro talia signa
Fallere consueverunt, sed sunt vel signa virorum
Magnorum interitus, pestisq̄ famisue futuræ,
Sæpe etiam belli: sed cum vix peste leuemur,
Sperabam longe venturam tempore pacem,

Atq; famem, luctusq; omnes procul esse fugatos,
Sed tamen vt cernis turbarunt omnia Parca,
Ergo communem merito lugemus amicum.

Ly. Longa si quis erat dignus vita, ipse fuisset,
Qui gregibus semper, qui tot pecorumq; magistris
Vnus amicus erat, non tales morte perire

Est æquum, qualis perijt nunc morte Menalcas.

Talia nequaquam posthac vos rampite Parca

Stamina, sed pereant terram qui pondere lædunt:

Mæ: Vix memini plures tam paruo tempore claros

Occubuisse viros letho, atq; abyssæ sub umbras,

Herbarum quamuis species, miscere peritum

Cernebam Medicum, & mixtos coniungere odores,

Non tamen abruptam poterat producere vitam.

Idcirco vereor nobis ne fortè ruinam

Atq; gregi nostro, hæc portendant omina magnam.

Ly: Vix adeo miserum terræ genus esse per orbem,

Credibile est, nullum præmitur sic vndiq; curis,

Tam varijs genus, humani sed cuncta labores

Omnino superant, nunc tantum respice vitam

Infantum, multo non te sermone morabor,

Namq; vides primum mollis cum nascitur infans

Quantis sic curis, quanta simul arte fouendus,

Non valet incessu, victum non quærere nouit,

Exhibeat molles nisi nutrix sedula mammas.

Mæ: Conqueror hæc & ego nimiū iam tempore multo,

Illæ

Illacrymo quoties teneros colludere cerno,
Agnos, certatim cum quæerunt vbera matrum,
Et natos hominum vix tandem posse peracto
Anno, pauca loqui firmisue insistere plantis.
Post vbi vixerunt, vix paucos duriter annos
Iam modo concessam coguntur relinquere lucem.
Ly: Illa quidem magno sunt deploranda dolore,
Sed tamen humano generi hoc solatia præstat,
Quod non sicut oves (quarum cum corpore vita
Omnis abit) pereunt. Homines vbi multa tulerunt
Et varios, durosq; simul sensere labores,
In lætas tandem mutato corpore valles
Deueniunt, illic æterno tempore viuunt,
Rursus ibi ad veteres cuncti veniemus amicos,
Illic & nostrum cernemus sæpe Menalcam,
Mæ: O quam nunc vellem nostro comes iræ Menalca,
Et simul Elysios saltus, camposq; videre.
Nam mihi sublato hoc, nil quidquam dulce meorum
Esse potest, donec deponam membra sepulchro.
Molliter interea nostri precor ossa Menalca,
Vt recubent, Lycida sunt hæc tribuenda sepultis.
Ly: Comprecor hæc & ego, sed iam sol incidit vndis
Vt cernis, valeas igitur luctumq; reponas.
Nam quos nunc video natos super esse Menalca,
Qui magna virtute suum superare parentem,
Conantur, quantas ostendant aspice vires.

Hi

*Hi memores patris, nobis nostrisq̄ quietem,
Ut pater ipse dabunt, Quos seruet Iuppiter oro.
Mœ: Ergo vale Lycida multum, nostriq̄ Menalcæ
Ad tumulum referas nobiscum dona quotannis.*

F I N I S.

EPITAPHIVM EIVS

DEM.

S*It licet vrna breuis, quam cernis fortè viator,
Cnuttelij magni continet ossa tamen.
Ossa quidem recubant paruo hoc abscondita busto,
Incolit ast sedes, Spiritus æthereas.
Ergo qui, transis tumulum, ne quæso graueris
Dicere, Cnuttelij molliter ossa cubent.*

F I N I S.

